

PRAEMONENDA

DE RATIONIBVS ET VSV THESAVRI

I. explicatur institutio operis	5
A. de historia Thesauri	5
B. de sociis operis	6
C. de archivo schedarum et bibliotheca	7
II. explicatur opus ipsum	8
A. de materia vocum	8
B. de tractatibus vocum	8
1. constitutio lemmatis	8
2. exordium	9
3. pars principalis	9
a. quemadmodum notio indicetur	9
b. quemadmodum historia vocis illustretur	9
4. additamenta	11
C. de signis ac scripturae generibus	12

I. explicatur institutio operis

A. de historia Thesauri

cum multi inde a renatis litteris desiderarent lexicon, quod voces latinas omnes ex universis antiquitatis testimentiis collectas contineret, singuli saepius philologi opus huiusmodi perficere temptabant, e. g. R. Stephanus, A. Forcellini, I. I. G. Scheller, R. Klotz¹⁾. singulorum autem vires postquam ad rem tantam parum sufficere apparuit consilia quidem saeculo praeterito capiebantur, ut plures communiter Thesaurum totius latinitatis componerent, neque tamen quicquam processit²⁾.

denique Thesaurus noster condi coepitus est operam praecipuam navante Eduardo Wölfflin. is enim instituit annales inscriptos ‘Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik … als Vorarbeit zu einem Thesaurus Linguae Latinae’, quibus inde ab anno 1884 editis³⁾ inserebantur tractatum exempla multa, ad quae vocabularium futurum elaboraretur. prae-terea Wölfflin adiutores sibi numerosos conciliavit, quibus textus latinos distribuit perscrutandos, ut materiae collectio et enarratio praepararetur.

deinde anno 1893 auctoris cum aliis tum Theodoro Mommsen academiae litterarum Berolinensis Gottingensis Lipsiensis Monacensis Vindobonensis statuerunt edere Thesaurum Linguae Latinae. convenit inter eas, ut tamquam funda-

¹⁾ fusius de his agit F. Heerdegen, Lateinische Lexikographie, in: Stoltz-Schmalz, Lateinische Grammatik, Handbuch der Altertumswissenschaft II 2, München 1910, 693 sqq.

²⁾ ad haec et ea, quae sequuntur, cf. maxime Heerdegen, loco cit.; praefationem primo Thesauri volumini antepositam; A. Szantyr in: Hofmann-Szantyr, Lateinische Syntax und Stilistik, Handbuch der Altertumswissenschaft II 2,2, München 1965 (denuo impr. 1972), in appendice

p. 74 sq.; W. Ehlers, Der Thesaurus Linguae Latinae. Prinzipien und Erfahrungen, Antike und Abendland 14, 1968, 172 sq.; G. Polara, Il Thesaurus Linguae Latinae, in: A. Garzya – M. Gigante – G. Polara, Omaggio a B. G. Teubner, Napoli 1983, 77–111.

³⁾ post primum fasciculum Thesauri emissum annales usque ad annum 1908 continuabantur, explicatione nova nomini adiecta, sc. ‘als Ergänzung zu dem Thesaurus Linguae Latinae’.

mentum operis qui exstant fontes latini ante annum circiter 150 p.Chr.n. scripti in schedas referrentur toti atque e posterioribus, dummodo anno fere 600 vetustiores essent, ampla excerpta talium periti facerent⁴). haec autem copta, quae inde ab anno 1894 Gottingae F.Leo, Monachii E. Wölfflin moderabantur, satis prospere profecerunt; itaque anno 1899 Monachii, quo omnes erant interim coactae copiae, primi tractatus vocum exarabantur⁵), et inde ab anno 1900 Lipsia ex aedibus B. G. Teubneri secundum pactionem triennio ante initam opus nostrum divulgatur.

igitur materie feliciter intra praefinitum quinquennii tempus coacervata ipsum etiam lexicon ad ratiocinationem, videlicet intra annos quindecim, absoluvi posse creditum est. sed cum annis duodecim post publicationem fasciculi primi, quamquam summis viribus operi festinando studebatur, priora solum quattuor volumina perfecta essent⁶), terminum usque ad annum 1930 prorogare necesse visum est; excusandi causa dicebatur sicut ipsi rei, ita praestituendo quoque temporis necessarii spatio defuisse exemplum.

verum variis de causis nec priore termino vocabularium nec altero consummari potuit. primum namque perturbationibus vitae publicae hoc saeculo obortis etiam Thesaurus gravissime afflictus et impeditus est. tum, ut ad interiores potius laboris nostri condiciones animum advertamus, quanto plus temporis elapsum erat a copiarum collectione, eo minus tractatus, uti principio provisum fuerat, elaborare licuit e solis schedis. ergo iam diu contextum omnium lemmatis locorum examinamus adhibitis editionibus praecipuis nec ullum aliud subsidium spernimus, quod aptum forte ad interpretationem esse videatur. porro efflorente philologia et scientia antiquitatis plura in dies a Thesauro exspectabantur, ita ut e.g. latinitatem posteriorem, maxime patrum christianorum, cum in supplendis excerptis tum in tractatibus vocum componendis maiore cura respicere nos oporteret. rationes demum ac discrimina, quae ad voces perquirendas et describendas peritia sua socii operis inveniebant, crescente sensim subtilitate distinctionum a priore consuetudine magis magisque differebant. haec omnia non erant neglegenda ideo, quod antiquitatis linguarumque indagatio et opus nostrum mutuo inter se commercio promovebantur et adhuc promoventur.

ceterum ut publicarentur additamenta, explicationes vel parerga, quae ad tractatus nostros pertinerent, anno 1934 incohata est miscellarum scriptionum series appellata ‘Beiträge aus der Thesaurus-Arbeit’, cui initio in Philologo, inde ab anno 1952 in Museo Helveticō locus datus est⁷).

sed opus nostrum ab academiis quinque Germaniae Austriaeque conditum vix iam rerum confusionibus, quae bellum saeculare primum sequebantur, superstes fuisset, nisi undique ei ex aliis quoque gentibus multum auxiliū subministratum esset⁸). verum quod continuari potuit Thesaurus post bellum saeculare alterum, id acceptum refertur consilio ab academiis societatibusque diversarum nationum electo, cuius iussu et auctoritate vocabularium inde ab anno 1949 editur⁹.

B. de sociis operis

operam operi impertient viginti circa socii: redactor generalis, redactores voluminum, auctores tractatuum. hoc in collegium conveniunt philologi e Germania atque Austria statim ab initio, pluribus e patriis post alterum huius saeculi decennium, praecipue postquam novum consilium editores constituerunt.

⁴) plura de congestione materiae v. sub IIA.

⁵) exinde operis nostris praest redactor generalis; primum Fridericum Vollmer secuti sunt E. Lommatzsch 1905–1912, G. Dittmann 1912–1936, B. Rehm 1936–1942, H. Rubenbauer vice fungens 1942–1947, H. Haffter 1947–1952, W. Ehlers 1952–1974, ab anno 1974 P. Flury.

⁶) integra adhuc publici iuris facta sunt volumina haec (quorum quarterniones quando imprimi iussi sint, ab anno 1901 primae cuiusque paginae subscriptur):

vol. I	A-Amyzon	1900(–1905)	VI 2	G	1925–1934
II	an-Byzeres	1900 –1906	VI 3	H	1936–1942
III	C-comus	1907(–1912)	VII 1	I-intervulsus	1934–1964
IV	con-cyulus	1906 –1909	VII 2	intestabilis-	
V 1	D	1909 –1934		lyxipyretos	1956–1979
V 2	E	1931 –1953	VIII	M	1936–1966
VI 1	F	1912 –1926	IX 2	O	1968–1981

Onomastici vol. II C 1907–1913 III D 1914–1923

de continuatione Onomastici intermissa v. sub IIA. tractare autem lemmata volumini IX 1 N destinata ad tempus distulimus, ne multis vocibus copiosissimis mora operi inferretur.

⁷) quae usque ad annum 1976 hac in serie prodierunt commentationes in unum collatae et iterum sunt impressae volumine, quod inscribitur ‘Beiträge aus der Thesaurus-Arbeit, herausgegeben vom Thesaurus Linguae Latinae, mit einem Vorwort von Heinz Haffter, Leiden 1979’.

⁸) cf. e.g. tabulam adiutorum volumini sexto praefixam.

⁹) editores et adiutores in praefatione unius cuiusque fasciculi ac voluminis nominantur.

impensas autem necessarias magnam partem Respublica Foederata Germaniae, potissimum Respublica Bavarica, suppedant; sed ceterae etiam nationes institutionesque in concilium editorum electae stipem in sumptus annuos Thesauri conferunt et stipendiarios in collegium sodalium ad duos fere vel tres annos mittunt.

eruditam quoque nobis opem extrinsecus ferunt consultores multi: unde vocabula quaedam originem duxerint et quas voces linguae q.d. romanicae retinuerint, harum rerum periti exponunt, atque in plagulis corrigendis liberaliter nos adiuvant docti aliquot compluribus e populis oriundi, qui cum propriam scientiarum provinciam imprimis respicientes vobis tractatus perlustraverint, correctiones, additiones ac sententias perutiles contribuunt¹⁰⁾.

C. de archivo schedarum et bibliotheca

Θησαυρὸς Thesauri, videlicet archivum, schedarum hodie ad centies centena milia continet iisque copiam complectitur vocum latinarum, quoad earum exempla saeculum septimum antecedunt. in schedis autem secundum alphabetum in lemmata digestis et intra lemmata secundum aetatem exemplorum ordinatis inveniri solet contextus, in quo lemmata occurunt, nisi, quod saepe fit in excerptis, nudi lemmatum loci vel, quod hic illic in fontibus aevi posterioris, indices tantum verborum eorumve concordantiae indicantur. nihil igitur in schedis ipsis praeparatum est ad cognoscendum, qua notione quibus structuris quo genere dicendi suis quaeque locis vox usurpata sit; immo haec eruere eorum est, qui vocabulorum tractatus conscribunt. ceterum ut archivum ita bibliothecam rationibus operis optime accommodatam hospitibus etiam patere vix est quod moneamus.

¹⁰⁾ quicumque voluminibus conficiendis operam dederunt, in praefatione unius cuiusque voluminis nominatim commemorantur. praeterea inde a volumine primo post singulos tractatus eorumve seriem auctores

nuncupantur, inde a volumine quinto etiam in fine paginarum. redactores vero nomina primis paginis quaternionum per compendia subscibunt.

II. explicatur opus ipsum

A. de materia vocum

materia, e qua tractatus vocum componuntur, in archivio schedarum reposita textus adhuc extantes, qui a principiis litterarum latinarum usque in Antoninorum aevum scripti sunt, omnes et omnia eorum exempla comprehendit. item recentiora quaedam, scilicet anteriora saeculo septimo, integra in copias partim operis initio partim postea aliquando recepta sunt¹⁾.

sed e fontibus ceteris aetatis huius posterioris excerpta tantum licet haud exigua facta sunt, nec nos umquam excerptiones aut veteres repetere aut novas textuum neglectorum antea ignotorumve, inscriptionum maxime, instituere destitimus. alia quoque addenda, postquam volumen primum anno 1900 emissum est, colligi copta etiam nunc accumulamus, ephemerides praecipuas ac cetera opera philologica inspiciendo²⁾.

verum quod e materia recentioris aevi sola tracta sunt excerpta, quibus repraesententur plus minus omnia, quae ad voces tractandas necessaria sint, id operi perficiendo aptissime convenire apparuit. nam quamvis temporibus nostris, praesertim ope machinarum rei computariae, facilius sit factu vastam copiarum molem, e.g. patrum ecclesiae, integrum congerere, immane tamen quantum temporis et operae consumendum esset, ut ex hac abundantia eligerentur loci, quibus nonnihil provehatur notitia vocabulorum³⁾. si quis autem cuncta vocis cuiusdam perscrutari velit exempla, satis ei saepissime facient auctorum textuumve singulorum concordantiae et indices, quorum cottidie numerus crescit, nec non promptuaria illa, quae latitudinem totam complexura machinis computandi parantur.

sed cum primitus inserere Thesauro propositum fuisse etiam nomina propria, ita ut quae a litteris A ac B incipiunt in voluminibus I et II una cum appellativis, quae a C et D, in Onomastico separato ederentur, continuatio tamen postea Onomastici, quod studiis historicis magis et prosopographicis quam philologicis prodesset, intermissa est, quo appellativa celerius absolverentur. at quotiens difficultates oriuntur distinguendi, quid pro nomine proprio, quid

¹⁾ in his Fronto, Gaius, Apuleius, Digesta, Minucius Felix, Tertullianus, Cyprianus, Scriptores Historiae Augustae, Arnobius (nat.), Iuvencus, Peregrinatio Aetheriae, Avienus, Hieronymi epistulae 1–65, Vulgata q. d., Prudentius, Augustini de civitate dei libri, Commodianus, Codices Theodosianus ac Iustinianus, Boethii de consolatione philosophiae libri, Regulae magistri Benedictique, nec minus inscriptiones morte Caesaris priores in primo dumtaxat editae CIL volumine, item potiores aliquot aevi imperatorii; reliquarum ut etiam papyrorum sola excerpta in archivio nostro asservantur.

²⁾ pluribus haec disserit P. Flury, Aus den Addenda des Thesaurusrchivs, Museum Helveticum 41, 1984, 42sqq.

³⁾ quantopere amplitudo materiae facultates ac fines lexicographicos excedat, operum unius Augustini magnitudine bene demonstratur: quae si omnia in schedas transferrentur, copiam archivi nostri prope dimidio augerent.

pro appellativo habendum sit, singulae causae secundum rationem suam diiudicantur⁴⁾).

voces autem graecae fere recipiuntur non modo, cum assimilatae sunt formationi latinae, ut *ostracum ὄστρακον*, verum etiam, si cum forma graeca congruunt, ut *ostracoderma ὄστρακόδερμα*, nisi ipsis litteris vel contextu doceamus vocabulum tamquam graecum usurpatum esse. sed quia editores textum latinum constituentes alii aliter voces graecas scribunt earumque scripturam, qualis in codicibus tradita sit, haud semper attestantur, neque nobis hac in re constare possumus, neque omnino materies originis graecae ratione aequali in archivum illata est⁵⁾.

B. de tractatibus vocum

cum suam quaeque vox quasi indolem et historiam habeat, existere pracepta generalia, quibus a nobis vocabula describantur, omnino nulla possunt; rationes tamen quasdam consuetudinesque usus noster protulit per experientiam probatas, quarum praecipuae strictim explicabuntur infra.

igitur quod similibus lexicis, verbi causa vocabulario germanico a fratribus Grimm condito, id Thesauro quoque evenit, sc. ut, cum olim exempla per seriem fere simpliciorum enumerarentur, paulatim progrediente peritia interpretationes dispositionesque subtiliores praferrentur⁶⁾. ortas inde diversitates operis plurimas hoc loco singillatim explanare supersedemus, quod facile benevolus lector ignoscet.

membra autem maiora, e quibus constare solent tractatus, haec sunt: constitutio lemmatis, exordium, pars principalis, additamenta.

1. constitutio lemmatis

adhibetur ad lemma constituendum, nisi causae quaedam singulares obstant, scriptura vocis ac prosodia consueta. inde declinationis definiendae causa terminacionum compendia, cum res poscit, addimus; terminationes tamen, quarum nulla nobis praesto sunt exempla, non semper restituuntur.

sublemmata vero ordine alphabetico neglecto vocibus, unde originem ducunt, subiungimus iustoque alphabeti loco lemmatis vicariis adnuntiare solemus. ea plerum-

⁴⁾ sic vocum quarundam exempla, quibus numina significantur, inter appellativa occurunt, veluti sub *luna musa oceanus ops*. minus feliciter et alia vocabula et *levita* ac *palatum* in Onomasticon relegata sunt.

⁵⁾ unde quondam in copiis deerant e.g. Ciceroniana nonnulla, puta sub *epagoge*.

⁶⁾ conferantur e. g. voces *antecedo* in secundo et *praecedo* in decimo volumine editae et quae de his exponit P. Flury, Der Thesaurus Linguae Latinae, Eirene 24, 1987, 8–15.

que constituuntur, ubi vocabulorum genus unum pro altero agnoscimus usurpatum, e.g. participia pro adiectivis vel substantivis. adnectuntur eodem pacto adiectivis si quae pertinent adverbia, interdum etiam iuncturae sollemnes parti potiori, velut *ius iurandum* vocabulo *ius et lucri facio* vocabulo *lucrum*.

porro voces dubiae reiectaeve apte denotantur, sc. anteposito signo interrogationis vel cruce philologica sive, cum lemma e numero vocum latinitatis antiquae tollendum est, additis uncis angulatis.

signum autem * lemmati praefixum ostendit nos ex universa copia vocis exempla quaedam in tractatu non attulisse; cf. 3bβ.

praeterea prosodiam lineola longis vocalibus lemmatis superposita designamus, atque hoc, ne usus variet, in vocabulis etiam posterioris aevi, quo mensura syllabarum parum sentiebatur; his ex etymi consideratione signa longitudinis adicimus. littera tamen -o, ubicumque per eam prima pers. sing. verborum et nom. sing. substantivorum in -io exeuntium terminantur, indice quantitatis non instruitur, quippe cuius correptio iam pridem increbruerit.

2. exordium

post constitutionem lemmatis in exordio q.d. fere generalia quaedam sive ab auctoribus antiquis sive a philologis recentioribus nobis ipsiis adnotata proferuntur, quae ab historia vocis eiusque permutationibus describendis separare et parti principali hoc maxime ordine praemittere consuevimus:

de etymologia quae in usum nostrum vir gnarus linguarum indo-europaea concipit, uncis angulatis includimus adscripto sub finem siglo nominis eius; origines ceteras ipsi, velut in compositis, expedimus.

de origine quae antiqui coniecerunt, iudiciis aetatis nostrae neglectis proponuntur.

de scriptura referimus, quae a forma lemmatis constituta discrepant, respicientes imprimis inscriptiones papyros codices saeculo VII priores; insuper exhibentur, quae forte veteres hac de re scripserunt.

'notatur' antecedit, cum indicamus, quomodo stirps vocis abbreviata sit, praecipue in monumentis litterarum saeculo VII anterioribus; omissae tamen flexionum terminationes fere non commemorantur.

Not.Tir.' compendio exceptis causis peculiaribus nihil subicitur nisi locus, ubi notae Tironianae in editione praecipua inveniuntur.

de genere eiusque commutationibus quae nos aliive animadverterunt, prodimus, adiectis testimoniis veterum.

de formis enumerantur maxime, quae a sollemnibus receptione, veterumque testimonia iunguntur.

de prosodia tam quae testantur antiqui praebemus quam notabiliora, quae alii et nosmet ipsi observavimus.

de notione quae antiqui docuerunt afferuntur, ultimo loco glossae; sed haud raro ea in parte principali singulis vel capitibus vel locis quasi testimonia adduntur.

'legitur inde a' praemittimus, cum breviter, ubi per saecula vox adhibita frequentata neglectave sit, exponimus, distinguentes etiam, prout ex re esse visum est, e.g. inter singularem numerum ac pluralem, vel inter poesin et prosam; nonnumquam synonyma quoque relatione concisa aut per tabulam comparantur.

in linguis romanis quam sortem vox usu continuo servata habuerit, vir huius disciplinae peritus illustrat; uncis haec angulatis circumdamus et sub finem viri docti nomen breviatum adicimus (compendia linguarum romanarum infra p. 13 solventur).

adnotatione critica item uncis angulatis inclusa percensentur vocabula, quibuscum lemma seu sonorum seu scripturae seu notionis affinitate in codicibus confundi solet; hic etiam locos, qui ob corruptum lemma contextumve principali parti inseri non potuerunt, nec non coniecturas colligimus notabiliiores.

3. pars principalis

a. quemadmodum notio indicetur

usu recentiore partem tractatus principalem interpretatione communi, vel id si fieri nequit, singula capita suis interpretationibus inscribimus, id est locutionibus eiusdem fere notionis, quibus anteponitur maxime formula *i(dem) q(uod)*. alias autem in linguas lemmata vertere non solemus⁷⁾, quamquam graecam hic illic usurpamus, ut in exemplo vocis *lux* infra allato iuxta interpretamentum latinum. plerumque ergo synonymis aut, quibus saepius opus est, periphrasibus vim vocis originariam principalemque circumscribere conamur etymologiae potissimum ratione habita. qua circumscriptione nihil aliud nisi primam velut ansam significationis comprehendenda et volumus offerre et possumus, quoniam singula exempla contemplanti denique facultas datur perspiciendi omnem vocis usum, sola que totius deliberatione singula recte percipiuntur.

interpretamento interdum iunguntur aut uncis inclusae aut ante primum caput praefationis loco insertae explicaciones quaedam, imprimis synonyma opposita iuxta posita (v. infra sub 4) vel etiam definitiones et distinctiones antiquae.

b. quemadmodum historia vocis illustretur

a. quomodo exempla digerantur

parte principali materiam solemus exhibere digestam in capita, quorum titulis, ordine eiusque signis historia atque usus vocis summatim intellegatur. ut lectores opinionem, quam dispositionibus hisce et interpretationibus declaramus, examinent ipsi atque ad arbitrium suum diiudicent, monere omittimus. dispositionis autem sint exemplum capitula maiora, in quae dividitur tractatus vocis *lux* vol. VII 2 p. 1905,56 sqq.:

⁷⁾ cf. W. Ehlers, loco cit. (v. supra p. 5) p. 177sq.

i.q. claritas lucendo effecta, φῶς
caput prius: proprie

I generatim

A -x caelestis

- 1 diei, solis
- 2 signorum nocturnorum
- 3 fulminis
- 4 arcus caelestis
- 5 nimbi divini

B -x non caelestis

- 1 strictius pertinet ad ignem
- 2 latius vel hyperbolice

II speciatim de virtute oculorum

A per se

B cum determinatione

caput alterum: in imagine et translate

I usu profano et communi

A praevalente respectu decoris, praeclaritatis sim.

- 1 metonymice de hominibus
- 2 de ipsa praestantia

B praevalente respectu intellegentiae salutaris, revelationis, explanationis sim.

II usu Iudeorum et Christianorum proprio

A generatim

B metonymice

C peculiaria

sed iam quibus rationibus lemmatum locos disponere ad-sueverimus, breviter edisseremus.

de oppositione capitum

singula capita, quae saepius olim uno eiusdem seriei tenore coniungebantur, opponere iam diu studemus inter se. nam duo vel plura instituuntur in eodem dispositionis ordine capitula, ut I et II vel A et B et C, quorum argumenta sub ceteris exclusa sunt. igitur exempli gratia usus metonymicus vocis *lux*, quo appellatur homo *mea lux*, non sub titulo *caput prius: proprie*, sed sub titulo *caput alterum: in imagine et translate* in capitulo IA1 p. 1915,8 sqq. invenitur.

qua re, si quis quaerit locos notiones usus, imprimis perspicat structuram dispositionis, ac partes sibi invicem respondentes inter se comparet. tituli enim capitum, qui ex sese non plane possunt intellegi, titulis oppositis patet⁸⁾; verbi causa, ut iterum spectemus tractatum vocis *lux*, capitulum I generatim in capite priore omnem complectitur usum proprium exceptis locis ibidem sub II speciatim de virtute oculorum allatis. similiter in capite altero sub IIIA generatim exempla sermonis Iudeorum ac Christianorum comprehenduntur praeter metonymias sub B et peculiaritates sub C collocatas.

quotienscumque vero loci quidam capitulis stricte definitis attribui nequeunt, sub respectum praevalentem rediguntur, ut in capite altero vocis *lux* in capitulis IA et B, aut

⁸⁾ iisdem fere appellationibus terminisque technicis in re grammatica ac stilistica utimur, quibus adhuc philologi vulgo, e.g. Leumann Hofmann Szantyr in libris grammaticae latinae.

exempla incerta commemorantur in titulis capitum, e.g. sub eadem voce p. 1910,10. 1911,52. 1916,13. haec et huiusmodi cum haud infreenter occurrant, oppositionem rigidam capitularum nihil esse aliud appetet nisi utili quendam rationem disponendi. describere enim uniuscuiusque vocis fata dispositione congruenti neque alieno schemati vocabula subicere propositum nobis est.

de argumentis interpretandi

notionis et usus discrimina, quibus in ordines et capita materiem digeramus, ad ipsius materiae statuimus condiciones, quae vocibus aliis aliae sunt.

itaque saepe res semanticae maximi momenti ducuntur, uti sub voce *lux*, ubi opposita sibi sunt inter cetera *caput prius: proprie* ac *caput alterum: in imagine et translate*, in *capite priore* vero I generatim et II speciatim, ibidem IB1 *strictius* et 2 *latius*. argumenta autem, quae spectant ad ipsarum, quas lemma significat, rerum proprietates, in *capite priore* exempli vocis *lux* inferiores obtinent ordines, velut IA caelestis et B non caelestis sive A1 diei et 2 signorum nocturnorum, item quae ad usum formarum attinent discrimina, e. g. p. 1906,5 et 42 ‘locat. -i’ atque ‘abl. temp. -e’ vel p. 1911,26 et 51 plur. ac sing.; porro de stylisticis agitur ibidem in *appendicula* sub finem tractatui adiuncta.

syntaxi etiam, quam sub voce *lux* inferiore loco repreäsentant e.g. *capitis prioris* capitula IIA per se et B cum determinatione, frequenter priores partes dantur, sicut in verbis, quorum structure variant, ut in *obliviscor* et *oppleo*. sed ubi syntaxis per dispositionem exponi nequit, separatim structuren enarrare solemus, aut appendicibus, quas tamen hic illic, ut sub *praeiudico*, disponendi signis adornamus, aut brevibus praemonendis, quae partem principalem antecedunt, sicut sub voce *opprobrium* p. 796,65 sqq. sequuntur autem appendices non modo partem principalem ipsam, velut sub *ordino*, sed etiam capitula eius longiora, ut sub *orior* p. 999,19 sqq.

haec vero et alia discrimina quamquam secernuntur, mutuam tamen eorum connexionem minime neglegere oportet. in verbis enim potissimum, quemadmodum notiones et structure cohaerent, saepenumero evidentissime appetit, sicut in iis, quibus accedunt obiecta tam mobilia quam immobilia, e.g. *infundo alicui aliquid* et *infundo aliquid aliqua re*, sive obiecta, quae et afficiuntur et efficiuntur, e.g. *ligo zonam ac ligō nodum*; liquet etiam in verbis tam transitivis quam intransitivis, velut in *ludo moveo obsequor*.

distinguimus autem hic illic sermones peculiares, in quibus crebro vox invenitur, ut *usum profanum et communem* in *capite altero* vocabuli *lux* sub I atque *usum Iudeorum et Christianorum proprium* ibidem sub II, gravissimi nonnumquam discrimen hoc aestimantes ponderis, e.g. ad locos disponendos vocum, quae seu ad partes artesque pertinent humanae vitae, ut ad iuris prudentiam medicinam architecturam, seu frequentantur in variis litterarum generibus, velut in carminibus epicis et elegiacis, in orationibus et epistulis.

tractatus denique, quibus rerum sive naturalium sive aliarum appellations describuntur, secundum argumenta plerumque digerimus his rebus propria. verbi enim causa disquiritur, quomodo res significata conficiatur usurpetur reperiatur vel in rerum natura vel in hominum vita; exemplo sint vocabula *oleum ovum panis*, voces utensilium quoque, ut *hasta liber*, nec non herbarum, quae ad vescendum medendumve adhibentur. sed tractatus encyclopaedicos in Thesauro requiret nemo – licet similia quaepiam non desint, v. e.g. sub *panis* p. 223,3 sqq. 225,44 sqq. –, quoniam primum nobis in appellationibus quoque rerum praevalet investigatio linguae; deinde res pleraeque non uno tantum vocabulo significantur (cf. *olea* et *oliva*, *oleum* et *olivum*), ita ut unius vocis tractatu vix satis illustrari possint.

de ordine temporis servando

capita, quae eodem sibi dispositionis ordine respondent, frequenter olim secundum legem rationis collocabantur, e.g. usus proprius ante translatum ac corporeus ante incorporeum, in recentioribus vero voluminibus secundum ordinem temporis plerumque ponuntur. non semel enim, cum quae enarranda sunt, ordinantur ad aetatem, eorum explicantur origines et causae. quod ubi aliter se habet, ipsa fortasse discrepantia ponderis alicuius est.

ergo capitulo primo dispositionis eum praebere studeamus usum, cuius ex omni materie vetustissima exstant exempla. igitur, cum loci antiquissimi vocis *lux*, qui lumen diei ac solis hoc nomine appellatum testantur, in lege duodecim tabularum aliisque priscis legibus reperti formam locativi *luci* notione q.e. *die*, *interdiu* exhibeant, ab hac forma inter *locutiones adverbiales* p. 1906,5 inserta pars principalis tractatus *lux* incipit.

sed intra capita quoque secundum aetatem locos affere solemus nec hanc seriem interrumpimus nisi aut uncis, ut in voce *lux* p. 1906,73 inter locos Sallustii Vergiliique vel ibidem p. 1906,44–47 inter duo exempla Ciceronis (de hoc uncorum usu v. infra sub C1), aut sub finem capitulo brevibus appendiculis, e.g. p. 1916,51. similiter intra uncos ordo temporis observatur, intra additamenta ac prae-monenda aliquotiens etiam ordo alphabeti.

β. quomodo exempla seligantur

omnia exempla, quae schedarium continent, non nisi in tractatibus vocum rariorum afferri possunt. ab ipsis igitur operis incunabulis materies apte selecta praebetur, et inde a volumine tertio signo * denotantur lemmata, quorum non omnes, qui nobis praesto sunt, locos exhibemus. exempla autem, quae omisimus, ceteris ordine temporis interposita sciscitant cuilibet, ut ipse inspiciat, in archivo parata sunt.

quibusnam vero discriminibus seligendum sit, disceptatione propria singulis in vocibus opus est eruatur. ante omnia tamen respicimus aetatem, ita ut vetustissima usus cuiusque ac notionis exempla proferri soleant. paucis deinde locis additis communes fere et sollemnes usus adumbramus, praesertim in tractatibus longioribus, quoniam multo plus ad historiam vocum describendam confidunt mutationes per octo circiter saecula exortae. ad eas itaque sicut etiam ad peculiarem cuiuscumque generis usum cum animum imprimis advertamus, amplitudinem capitum lectoribus propositam suo locorum numero pari portione respondere haudquaquam necesse est.

sed cum primitus nota * lemmati praefixa frequenter hoc solum indicatum sit, non omnia exempla tractatu contineri, interim iam pridem suis locis omissiones cunctas designamus, videlicet locutionibus certis compendiisque quibusdam, quae, velut *exempla selecta*, ad titulos capitum aut, uti al., *saepe*, *passim*, in medium extremamve seriem locorum adscribuntur (uberius haec exponemus infra sub C2).

ceterum lectores admonere liceat e fontibus aevo Antoninorum posterioribus excerpta tantum, quamvis larga, schedario inesse nostro, et insuper ne e materia quidem vetustioris aevi, quae in schedas tota recepta est, linguam latinam, qualis tum fuerit, penitus cognosci posse, quia admodum pauca eorum, quae locuti sunt antiqui scripserunt, traditione textuum tamquam selecta ad nos usque pervenerunt. ergo vocis imago, quam per tractatum omnii diligentia atque haud semel omnibus, quae in schedis habentur, exemplis delineamus, necessario incohata incompleta imperfecta erit, nec opere nostro indagationem lemmatum finire aut possumus aut cogitamus, sed expedire et promovere.

4. additamenta

syntaxin stilum alia, quae in dispositione partis principalis locum obtainere nequierunt, saepius appendice enarramus; sic sub voce *lux* ante finem tractatui *appendicula stilistica* adnectitur. verum *synonyma* opposita iuxta posita usu pristino nude frequenter extremis in tractatibus enumerata nunc, ut iudicio legentium pateant, dispositione interdum paulo subtiliore et utique indicationibus locorum instruuntur, sive ea uncis inclusa vel praemonendorum instar adicimus interpretamento, uti sub *lucrum* et *opus*, sive in appendice colligimus, ut sub *locuples*.

deinde, si res ita fert, sequuntur sublemmata (v. supra sub 1), tum sub compendiis *deriv.* ac *compos.* index vocum, quae a lemmate derivatae quaeve cum eo compositae sunt; postremo additur formula cf. *Onom.*, qua lemma in nominis proprii quoque transire significamus usum (v. supra sub A).

II. C. de signis ac scripturae generibus

	1. ad tractatus ordinandos (v. p. 9 sq.)	
I A 1 a a ① ④ ...	ut capita eorumque dispositionem denotemus, huiusmodi signis hoc utimur ordine: I-II A-B 1-2 a-b a-β ①-⑪ et sim.	capitum et expicationes, insuper indicatio locorum, quibus sive lemma non inest sive anno 600 fere recentiora vel graeca exhibentur.
caput, pars	quibus, si forte tractatus longiores sunt, nonnumquam superponitur ordo <i>caput prius – caput alterum</i> vel huic etiam <i>pars prior – pars altera</i> ; quodsi breviores, obtinere summum gradum possunt signa 1 et 2.	puncta autem tria verbis exemplorum interciuntur, ubi partem contextus praeterimus.
() ()	saepe vero uncis intra seriem locorum exempla nonnulla comprehenduntur, videlicet:	sed in ipso textu allato includuntur uncis () acutis, quae supplenda sunt, e.g. sub <i>lux</i> p. 1906, 10. curvis, quae restituuntur compendiis inscriptionum maxime solutis, uti sub <i>ludus</i> p. 1784, 15. [] angulatis, quae delenda sunt, velut sub <i>lux</i> p. 1906, 18 (alia de usu uncorum v. supra sub 1).] hami denique parvi subponuntur vocibus, ad quas pertinet adnotatio sequentibus uncis cincta, e.g. sub <i>lux</i> p. 1906, 37.
(... [...] ...)	aut iuncturae, quae iterum occurunt, sicut attributa quae substantivis vel objecta quae verbis accedunt; quod si fit, fere vox, quae iterum invenitur, ante uncos litteris diductis scribitur, intra uncos abbreviatur vel omnino interdum omittitur, e.g. sub voce <i>lux</i> p. 1906, 44.69. aut loci argumentis aliis de causis comparabiles; ratio plerumque similitudinis intra uncos ante exempla litteris inclinatis redditur, uti sub voce <i>lux</i> p. 1906, 51.55.	ceterum in constitutione lemmatis applicamus voci dubiae signum interrogandi, corrupte traditae crucem philologicam, omnino reiectae uncos angulatos, formae restitutae uncos curvos (ad rem v. sub IIB1; de signo * cf. supra sub 2).
	intra ipsos autem uncos, sc. curvos, cum eodem modo exempla complectimur, uncis ea angulatis includimus, ita ut saepius unci curvi typis crassioribus imprimantur; cuius rei exemplum v. sub voce <i>lux</i> p. 1906, 52.	4. solvuntur compendia
	2. ad designandam selectionem exemplorum (v. p. 11)	-x lemma terminationibus tam brevibus, ut formae facile dinosci possint, profertur, e.g. sub <i>lux</i> in sing. -x, -is, -i, -em, -e, in plur. -es, -um, -bus.
*lux	signo * ante lemma posito monstramus allata esse non omnia exempla, quorum schedae in archivio adservantur.	philologorum vero recentiorum commentarios locum alatum expedientes et opera usitatissima aliquot solo plerumque auctoris nomine adumbramus; ut sub <i>lux</i> , ubi p. 1912, 37 ad 'MANIL. 1,187 ...' adicitur v. <i>Housman ad l.</i> , et ibidem p. 1905, 33 nominibus <i>Hofmann-Szantyr</i> adferimus opus, quod inscribitur <i>J. B. Hofmann, Lateinische Syntax und Stilistik, Neubearbeitet von A. Szantyr, München 1965 (verbesserte Auflage 1972)</i> .
al., et saepe, et passim	compendio al. vel locutionibus idoneis, ut <i>et saepe</i> vel <i>et passim</i> , ubi quaedam omiserimus indicatur, et quidem varia ratione, prout in exemplorum serie notae nostrae locum habent:	<i>Housman ad l.</i> cetera recentiorum scripta paucissimis, quae per se intellegantur, verbis indicamus addito saepius anno publicationis, quo facilius reperiri queant in annalibus vocatis <i>L'année philologique</i> ; e.g. sub <i>lux</i> p. 1906, 5 abbreviatione <i>Leumann, Gramm. 1977</i> significatur liber, cui titulus est <i>Manu Leumann, Lateinische Laut- und Formenlehre, München 1977</i> .
	a. cum inseruntur inter auctores complures, solius ante nominati locos, velut Vergili sub <i>lux</i> p. 1908, 58 'SALL. Iug. 99,1 ... VERG. Aen. 4,586 ... 9,338 ... al. CRIS 349 ...', praetermissos esse significatur. b. cum capitulum vel exemplorum seriem uncis inclusam finiunt	in explicationibus autem nostris, titulis capitum sim. hoc potissimum modo breviamus haec (frequentiora selecta):
	post exempla Apuleio antiquiora, locos fortasse scriptoris ante adlati, certe posteriores omnes non exhiberi ostendimus; v. e.g. sub <i>lux</i> p. 1908, 65 'CIRIS 349 ... PROP. 4,3,32 ... Ov. met. 3,149 ... 15,664 ... al.'	<i>ad l.</i> ad locum <i>al.</i> (et) alia (v. p. 11) <i>a. 35</i> anno 35 post Christum natum <i>a. 35 a. Chr.</i> anno 35 ante Christum natum <i>apud ICTos</i> apud iurisconsultos <i>cf.</i> confer, conferas, conferatur sim. <i>coll.</i> collato, -a, -is <i>coni.</i> coniecit, conjectura <i>e.g. (ex. gr.)</i> exempli gratia <i>e.q.s.</i> et quae sequuntur <i>gr.</i> graece <i>i.</i> id est <i>i. q.</i> idem (est) quod (v. sub B 3a) <i>in univ.</i> in universum <i>om.</i> omisit, omittitur, omissio sim. <i>q.e., q.s.</i> qui quae quod est, qui quae sunt <i>sim.</i> (et) similia, similiter <i>var. l.</i> varia lectio <i>vol. VII 2, 1904, 83</i> sc. Thesauri vol. VII pars altera p. 1904 1.83
	post exempla Apuleio recentiora, locos saeculo II medio posteriores declaramus selectos, e copiis videlicet, quae non integrae, sed excerpendo tantum collectae schedario continentur (cf. supra sub II A); v. e.g. sub <i>lux</i> p. 1908, 84 'TERT. anim. 53,6 ... OPT. PORF. carm. 24,3 ... PRVD. ham. 965 ... GENNAD. dogm. 62 ... al.'	<i>Leumann, Gramm. 1977</i> in schedis nostris <i>in exemplari nostro</i> sc. archivi Thesauri sc. bibliothecae Thesauri
	3. ad exempla afferenda et explicanda	
	scripturae generibus variis varia a nobis exprimuntur, sc.	
Cic.	typis maiusculis nomina testium, apud quos lemma legitur.	
Verr. II 2,156	typis solitis ac rectis operum locorumque, in quibus lemma occurrit, nomina et numeri, praeterea verba fontium, quae referimus, omnia.	
Cic. Verr. II 2,156	typis inclinatis quaecumque nosmet ipsi addimus commentandi vel interpretandi causa, e.g. titulos	

in **etymologis** compendia linguis indoeuropaeis data legantur sic (quaedam paululum per annos variata esse monemus nec non omitti rariora, quae facile solvantur):

<i>alban.</i> (<i>alb.</i>)	albanice	<i>ind.</i> (<i>sanscr.</i>)	indice
<i>anglosax.</i> (<i>anglos.</i> , <i>ags.</i>)	anglosaxonice	<i>isl.</i> (<i>isl.</i>)	islandice
<i>aremor.</i>	aremoric (i. bretonice)	<i>lett.</i>	lettice
<i>armen.</i> (<i>arm.</i>)	armeniace	<i>litan.</i> (<i>lithuan.</i> , <i>lit.</i>)	lituanice
<i>avest.</i> (<i>av.</i> , <i>med.</i>)	avestice (medice)	<i>med.</i>	<i>v.</i> avest.
<i>boruss.</i> (<i>pruss.</i> <i>vet.</i> , <i>pruthen.</i>)	borussice	<i>osc.</i>	osce
<i>cambr.</i> (<i>cymr.</i>)	cambrice	<i>paelign.</i> (<i>pael.</i>)	paeligne
<i>celt.</i>	celtice	<i>polon.</i>	polonice
<i>corn.</i>	cornvallice	<i>pruss.</i> , <i>pruthen.</i>	<i>v.</i> boruss.
<i>etrusc.</i> (<i>etr.</i>)	etrusce	<i>pun.</i>	punice
<i>falisc.</i> (<i>fal.</i>)	falisce	<i>russ.</i> (<i>ross.</i>)	russice
<i>gall.</i>	gallice	<i>sabin.</i> (<i>sab.</i>)	sabine
<i>germ.</i> (<i>german.</i>)	germanice	<i>sanscr.</i>	<i>v.</i> ind.
<i>got.</i> (<i>goth.</i>)	got(h)ice	<i>slavon.</i> (<i>slav.</i>)	slavonice
<i>gr.</i>	graece	<i>theod.</i> (<i>theodisc.</i>)	theodisce
<i>hethit.</i>	hethitice	<i>tochar.</i> (<i>toch.</i>)	tocharice
<i>hibern.</i> (<i>hib.</i>)	hibernice	<i>umbr.</i>	umbrice
		<i>vestin.</i>	vestine

linguis vero **romanicas** quae attribuimus compendia, intellegantur hoc modo:

<i>cat.</i>	catalanice	<i>(it.)</i>	<i>ligur.</i>	Liguria
<i>dalm.</i>	dalmatice		<i>lucan.</i>	Lucania
<i>francog.</i>	francogallice		<i>march.</i>	Marchiae Anconitanae (Marche)
<i>dialecti:</i>	<i>argot</i>	argot quae dicitur	<i>neap.</i>	Neapolis (Napoli-Campania)
	<i>biturig.</i>	Biturigum (Berry)	<i>pedem.</i>	Pedemontii (Piemonte)
	<i>borbon.</i>	Borboniae (Bourbonnais)	<i>rom.</i>	Romae
	<i>burg.</i>	Burgundiae	<i>sic.</i>	Siciliae
	<i>camp.</i>	Campaniae (Champagne)	<i>tusc.</i>	Tusciae (Toscana)
	<i>comit.</i>	comitatus Burgundionum (Franche-Comté)	<i>venet.</i>	Venetorum (Veneto)
	<i>loth.</i>	Lotharingiae	<i>umbr.</i>	Vmbriae
	<i>norm.</i>	Normandiae		portugallice
	<i>pic.</i>	Picardiae		provincialiter (provenzalisch, okzitanisch)
	<i>pict.</i>	Pictavorum (Poitou)	<i>port.</i>	Alverniae (Auvergne)
	<i>wall.</i>	Wallonum	<i>prov.</i>	Aquitaniae celticae (Guyenne)
<i>francoprov.</i>		francoprovincialiter (franko- provenzalisch)	<i>dialecti:</i>	Delphinatus (Dauphiné)
<i>hisp.</i>		hispanice		Languedociae (Languedoc)
<i>dialecti:</i>	<i>arag.</i>	Aragoniae	<i>alvern.</i>	Lemovicum (Limousin)
	<i>astur.</i>	Asturiae	<i>aquitan.</i>	raetice
	<i>legion.</i>	Legionensium (León)	<i>delph.</i>	centralis regionis
		italice	<i>langued.</i>	occidentalis r. (Graubünden)
<i>it.</i>	<i>dialecti:</i>	<i>abrut.</i>	<i>lemov.</i>	orientalis r. (Friuli)
		Abrutii (Abruzzi)	<i>raet.</i>	sarde
		<i>aemil.</i>	<i>dialecti:</i>	centralis regionis (Logudoro)
		Aemiliae (Emilia-Romagna)	<i>centr.</i>	meridianae r. (Campidano)
		<i>apul.</i>	<i>occ.</i>	septentrionalis r. (Gallura)
		Apuliae	<i>or.</i>	valachice (rumänisch)
		<i>calabr.</i>	<i>sard.</i>	vasconice (gaskognisch)
		Calabriae	<i>dialecti:</i>	
		<i>cors.</i>	<i>centr.</i>	
		Corsicae	<i>mer.</i>	
		<i>langob.</i> (<i>alp.</i>)	<i>sept.</i>	
		Langobardiae (alpinae)	<i>val.</i>	
			<i>vasc.</i>	

regionum autem notae *centr.*, *mer.*, *occ.*, *or.*, *sept.*, sicut supra in rebus raeticis sardisque demonstratum est, alibi etiam, ubicumque opus est, accedunt. quae-dam tamen distinctionibus omissis ipsi dialectorum generi ascribere sufficit (*dial.*). sed a vocibus et formis etiam hodie vigentibus distinguuntur eae, quae aetate vetusta (*vet.*) vel media (*med.*) usurpabantur.

ceterum solis fere nominibus auctorum indicantur libri hi:

<i>Battisti-Alessio</i>	C. Battisti-G. Alessio, Dizionario etimologico italiano. I-V. 1950-1957	<i>Machado</i>	J. P. Machado, Dicionario etimologico da lingua portuguesa. I.II. 1953. 1959 (ed. tertia. I-V. 1977)
<i>Corominas</i>	J. Corominas, Diccionario critico etimológico de la lengua castellana. I-IV. 1954	<i>M.-L.</i>	W. Meyer-Lübke, Romanisches Etymologisches Wörterbuch, ed. tertia. 1935
<i>Corominas-Pascual</i>	J. Corominas-J. A. Pascual, Dicc. critico etim. castellano e hispanico. I-V. 1980-1983	<i>Wagner</i>	M. L. Wagner, Dicionario etimologico sardo. I.II. 1960. 1962
<i>Faré, Postille</i>	P. A. Faré, Postille italiane al Roman. Etym. Wörterb. di W. Meyer-Lübke. 1972	<i>Wartburg</i>	W. von Wartburg, Französisches Etymologisches Wörterbuch. 1922sqq.

denique lectores reminiscantur voces romanicas non enumerari nisi quae usu continuo servatae sunt, omissis eis, quas viri docti artiumque technicarum periti e lingua latina iam emortua resuscitaverunt.